

ILLUSTR.<sup>MO</sup> AC REVER.<sup>MO</sup>  
PAULO CAMILLO  
SFRONDATO  
S. R. E. Cardinali Amplissimo.  
ET GREGORII XIII PONT. MAX. NEPOTI.

Patruo tuo, Paule Camille Card. Ampliss. Pont. Max. universum hoc, meæ novæ Philosophiæ opus dicavi, et consecravi, iis de causis, quas ad eum, antecedenti consecratione perscripsi. Tibi vero Nepoti suo, eique proximo, et charissimo, cur non iisdem fere de causis, partem eius, primam, ac pene primariam, quæ est de luce, et lumine, per quæ ad Deum, luminum patrem, ascendas, tibi dicem? Multis luminibus splendidissimo. Pater enim tuus Paulus Barro, dum puer adhuc esset; et cum fratre, nunc Pont. Max. Patavii bonis litteris incumberet, eodem quo frater cultu, est a me maximopere cultus. Cuius rei ergo, magnis me postea benevolentia testimoniis est prosecutus. Ego illius, nunc in te memoriam renovo. Et mei erga te cultus etiam maioris, et observantiæ, et venerationis agnosco debitum. Et quod illi, si viveret forte, nunc debuissim, id totum in te transfero. Do ergo tibi et Dico, et Sacro, hosce primos x. meæ novæ Philosophiæ libros, quos inscripsi Panaugiæ, eo quod, omnium lucis specierum, contemplationem continet, deque eis accuratam, qualem ante nos peregi nemo, tractationem instituunt. Debentur autem tibi, omnium maxime. Non n. auorum, tantum atque atavorum, aut Francisci avi tui Cardinalis, postea Carolo V. Cæsari chariss. sed et Paterno fulges splendore. Pater namq; tuus, non solum Patri, et præsentis Sereniss. Sabaudia Ducibus fuit acceptiss. Verum etiam Philippi Regis Cath. gratiam ita promeruit, ut ea in re inter paucos numeretur. Splendes quoque Pont. Max. omnium maximo fulgore, quem in terris uti Dei Christi vicarium colimus. Præfulges etiam tuo, non solum pro dignitatis, quæ prope maximam est, gradu, sed tuo proprio, doctrinæ, prudentiæ, modestiæ, virtutumque omnium cumulo. Refulges etiam, religionis, et Christianæ pietatis œstro, et vitæ sancti astro fulgentissimo. Qua te, et Dei Vicario charissimum, et Deo gratissimum et faciunt, et facient. Hos autem quos in omnem tibi æternitatem voveo libros, qui ad veram pietatem, veris rationibus, ducatum præstant, tu pietatis vere cultor, favore tuo prosequere. Et me veterem, in qua pater tuus habuit, clientela, protege.

*Tibi deditiss.*

*Franciscus Patricius.*